

de Amundorf praefatas duas marcas reddituum resignarem. Quod cum coram civibus Lypzensibus qui placitis nostris interfuerant me facturum benivole promissem et sigillum meum eisdem dominis pro cautela praesentassem, tandem in vigilia sancti Andreae apostoli cum essem in Horburch advenit dominus Conradus de Burnis tunc procurator eiusdem ecclesiae monens et petens, ut de resignationis negotio quemadmodum promiseram finem darem. Accedens igitur cum eodem domino Conrado de Burnis ad reverendum dominum meum H. de Amundorf episcopum Mersenburgensem, qui tunc erat in Horburch, ad manus ipsius benivole resignavi praedictas duas marcas reddituum in Lusen cum omni iure et utilitate quo ad me pertinuerant, rogans suppliciter ut easdem ob memoriam mei et fratris mei defuncti et progenitorum nostrorum eidem ecclesiae sancti Thomae donaret et appropriaret perpetuo possidendas. Igitur ad preces meas et ob favorem, quem idem dominus episcopus ad dictam ecclesiam gerebat, subito inclinatus donavit et appropriavit liberaliter duas marcas praelibatas reddituum eidem ecclesiae suscipiente praefato domino Conrado nomine ecclesiae perpetuis temporibus libere possidendas. Aderant tunc nobiles viri Volradus de Kolditz, Heynemannus dapifer de Burnis, Heynricus capellanus de Greben, capellanus eius, magister Conradus notarius eiusdem et alii plures fide digni. In quorum evidentiam et memoriale perhenne praesentem eis dedi litteram sigilli mei caractere communitam. Acta sunt haec anno domini M°.CCC°. in vigilia sancti Andreae apostoli praesentibus testibus supra scriptis.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig. Das Siegel ist abhanden gekommen.

No. 52. 1301. 15. Febr.

Landgraf Dietrich eignet eine Badestube, welche Johannes Fuhrmann (Auriga) dem Kloster zu rechtem Erbe überwiesen hat, und freit dieselbe von landesherrlichen Beten und von der Schosspflicht.

Theodericus dei gratia iunior lantgravius Thuringorum, Orientalis et Lusaeciae marchio omnibus Christi fidelibus vitae praesentis et futurae salutis et prosperitatis continuum incrementum. Ut discant posteri quod per praesentes agitur, facta modernorum rationabilia, quae perhennari desiderant, litterarum solent inprimi apicibus et sigillorum vel sigilli appensione vel appensionibus fidelium superaddito testimonio roborari. Hinc est quod omnibus Christi fidelibus praesens scriptum intuentibus aut visuris cupimus esse notum, quod Johannes Auriga cognomine civis Lipcensis nobis fidelis et dilectus affectu caritatis instructus ob divinae remunerationis meritum ad laudem dei et honorem suae matris Mariae virginis gloriosae nec non sancti Thomae apostoli stupam balnearem, quae dicitur Cigelstube, fundum eiusdem stupae et omnia supraedificata cum aliis pertinentiis ad eandem coram nobis comparens dedit et resignavit ecclesiae sancti Thomae et collegio canonicorum regularium deo sub regula sancti Augustini deservientium in eadem iure hereditario possidenda. Nos vero considerantes et cognoscentes hanc donationem suam pure et simpliciter